



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia proponitur, & alia dubia ad subsistentiam continentia expediuntur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluantur.

68 **A**D primum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, vt patet ex supra dictis latissime.

Ad secundum concedo maiorem & distinguo minorem, non operatur per se, id est separata concedo, non operatur per se, id est non influendo per se, aut vt substantia ratione cuius debetur illi substantia nego. Deinde distinguo secundam partem minoris, dependenter à materia per inhaerentiam nego, per informationem substantialem concedo.

69 Ad primum secundæ sententiæ negatur antecedens, ad probationem illius negamus conuerti hypostasim, & substantiam, substantia enim latius patet quam hypostasim, anima enim rationalis in sententia P. Vasquez subsistit separata, & tamen non habet personalitatem; vnde bene potest forma materialis habere substantiam partialem, licet non sit hypostasis partialis.

70 Ad vltimum ipsius dicimus substantiam esse complementum partium secundum se, cui non repugnat vno compositi. Ad illud vero de incommunicabilitate postea latius dicetur, dum de effectibus formalibus supposititalitatis, & substantiæ dicemus.

QVÆSTIO VI.

Virum substantia possit existere diuinitus sine omni substantia.

SECTIO I.

Sententiæ aduersariorum proponuntur.

1 **P**RIMA sententia negat naturam substantialem posse existere adhuc diuinitus sine omni substantia, ita P. Fonseca, & alij.

2 Probatum primo, quia quantitas non potest esse sine omni figura, & linea sine omni indiuisibili terminatio, licet possint esse absque hac, & illa figura, absque hoc vel illo termino: ergo licet natura possit esse absque hac & illa supposititalitate non poterit esse absque omni adhuc diuinitus.

3 Secundo sic probatur sicut se habet inhaerentia in accidenti, ita se habet substantia in substantia, sed ablata in accidenti inhaerentia statim confurget in illo modus per se: ergo ablata in natura supposititalitate propria necessario succedet loco illius supposititalitas aliena.

4 Tercio sic probatur, quia si natura conseruaretur sine omni substantia, & supposititalitate, conseruaretur sine illa per actionem positiuam à Deo, sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, vt conseruetur sine omni substantia, maior est euidens, quia omnis terminus creatus quomodocumque sit, si conseruatur, debet conseruari à Deo media sua actione, & medio influxu diuinæ omnipotentia: sed omnis influxus, &

actio diuinæ omnipotentia est actio, & influxus positius: ergo si conseruaretur sine omni substantia diuinitus natura deberet conseruari media actione, & influxu positiuo. Minor illa prima sic probatur, quia omnis actio positua tendens ad aliquem terminum debet habere aliquod specificatum positiuum, sine quo non potest illo modo esse talis actio; sed conseruatio illa ex vi cuius conseruaretur substantia, sine substantia nullum haberet specificatum formale positiuum, quia in illa natura solum datur entitas illius naturæ, quæ est quasi obiectum commune, & materiale respectu huius, & aliarum actionum; præter hanc autem entitatem solum datur respectu huius actionis vt proprium negatio quadam, quæ independentia à supposito dicitur, quæ vt negatio supposititalitatis non potest esse specificatum proprium actionis positua: ergo talis actio positua non posset terminari ad illum terminum, ac proinde non posset conseruari talis entitas cum negatione omnis substantia.

SECTIO II.

Nostri sententia proponitur, & alia dubia ad substantiam pertinentia expediuntur.

Prima conclusio: bene potest esse, & conseruari per potentiam Dei absolutam, natura creata sine omni supposititalitate: hac est communior hac tempestate, & probabilior sententia.

Probatum sic primo, quia omnis effectus secundarius formæ, vel quasi formæ potest suppleri à Deo in genere causæ efficientis per potentiam absolutam, sed conseruatio animæ à supposititalitate est effectus secundarius illius: ergo poterit suppleri à Deo in genere causæ efficientis per potentiam suam absolutam; maior sic patet, quia ideo potest Deus suppleri effectum conseruationis substantiæ à quantitate sine ipsa quantitate per potentiam suam absolutam, quia est effectus secundarius illius; item in sententia aduersariorum potest conseruari materia prima sine omni forma substantiali per potentiam Dei absolutam, licet conseruatio illius naturaliter deberet esse effectus causæ formalis, & hoc quia est effectus secundarius. Deinde expulsio albedinis à subiecto, & expulsio frigiditatis vt octo, sunt effectus secundarij nigredinis, & caloris, & quia tales sunt possunt suppleri à Deo per potentiam Dei absolutam, quod adeo verum est, vt inter omnes catholicos Philosophos, tanquam certissimum, ac verissimum discrimen constituitur inter effectum primarium, ac secundarium formæ, vt ille nullo modo possit suppleri à Deo, hic vero sine dubio suppleatur ab ipso diuinitus: ergo Deus potest suppleri quemcunque effectum secundarium formæ.

Minor præcipua sic probatur, quia ille est effectus secundarius alicuius formæ, qui consequitur ad primarium, & non est eiusdem denominationis cum forma, vt videre est in expulsionem caloris respectu frigiditatis, & in conseruatione materiæ respectu formæ accidentis respectu substantiæ essentia respectu proprietatis, secundarius enim effectus vocatur, quia supponit primarium, primarius enim effectus cum includat essentialiter ipsam formam est eiusdem denominationis cum ipsa, ita vt effectus habeat denominationem in concreto, quam forma habet in abstracto, & sic album est effectus formalis albedinis.

nis, viuens, effectus formalis vitæ & frigidum effectus formalis frigiditatis, sanctum effectus formalis sanctitatis, & gratum effectus formalis primarius gratiæ, & hoc est vt diximus; tum quia sunt eiusdem denominationis cum formis, à quibus causantur; tum quia non supponunt alium effectum formalem: sed conseruatio naturæ à suppositualitate supponit suppositam esse naturam, & exhibitam suppositualitatem naturæ vnicaque esse ipsi, & ideo hæc est vera propositio causalis, quia subsistentia vnitur naturæ conseruat illam; itaque subsistentia vnita naturæ est causa conseruationis ipsius: ita vt subsistentia vnita naturæ sit prior prioritate naturæ ipsa conseruatione, pro quo prior est verum dicere, subsistentia est vnita naturæ, & natura est vnita subsistentiæ: ergo pro priori naturæ, quo nondum intelligitur conseruatio, dantur, & intelliguntur subsistentia natura, & vnio earum simul: ergo intelligitur totum suppositum resultans ex vnione suppositualitatis, & naturæ; sed totum illud concretum est effectus primarius formalis suppositualitatis: ergo prius natura intelligitur effectus primarius suppositualitatis, quam conseruatio naturæ: media suppositualitate: ergo conseruatio est secundarius effectus, quia præsupponit primum. Deinde, quia in primo instanti productionis datur perfectum suppositum, quia non fit per actionem successiuam, sed instantaneam, vt de se clarissime patet; suppositum autem diximus effectus primarius suppositualitatis: atqui in primo instanti productionis, nondum perfecta intelligitur conseruatio naturæ, quia conseruatio est permanentia, seu propagatio esse producti; atqui non datur propagatio, seu permanentia illius esse producti in instanti primo in quo de nouo habet esse, sed in duratione sequenti ad illud instans, quia sicut propagatio, seu extensio localis non intelligitur perfecta in primo loco, nisi extendatur entitas illa de primo loco ad secundum, & vltiorem locum, sic similiter extensio, permanentia seu propagatio entitativa non intelligitur in prima duratione qua de nouo producit, nisi in sequenti ad quā extenditur entitas; itaque habere de nouo esse intelligitur in primo instanti, seu in prima duratione; habere autem conseruatum propagatum, seu conseruatum esse non intelligitur in prima duratione: sed in secunda sequenti, ita vt conseruatio sit simul cum secunda duratione, sed secunda duratio supponit primam durationem, & quicquid est in prima duratione: ergo conseruatio quæ est in secunda duratione, & simul cum illa præsupponet primam durationem, & quicquid est in prima duratione sine dubio: sed in prima duratione datur suppositum quod est effectus primarius suppositualitatis: ergo conseruatio supponit effectum primum formalem illius: ergo conseruatio, quæ est effectus suppositualitatis erit effectus secundarius illius, cum effectus secundarius sit, qui præsupponit primum.

Præterea conseruatio non est eiusdem denominationis cum suppositualitate, nec dicit eandem denominationem in concreto, quam dicit in abstracto suppositualitas, sed potius dicit diuersissimam denominationem in abstracto/conseruatio enim nomen abstractum est: à conseruato, quod est concretum illius) ab ea quam dicit in abstracto ipsa suppositualitas: ergo non est effectus primarius, sed secundarius suppositualitatis. Tandem quia non est medium inter effectum primum, & secundarium alicuius formæ, sed suppositum

est effectus primarius suppositualitatis, quia in illud concurrunt omnia quæ requiruntur ad effectum primum, cum non supponat alium effectum ante se, & sit eiusdem denominationis cum suppositualitate: atqui conseruatio naturæ non est suppositum: ergo talis conseruatio non est effectus primarius, sed secundarius.

Secundo principaliter sic argumentor, quia 8 natura actu non dependet essentialiter à suppositualitate: ergo potest natura saltem diuinitus existere, & esse sine omni suppositualitate. Patet consequentia, quia solum illa quæ sunt essentialia, non potest Deus supplere, ita vt omni etiam naturaliter maxime necessaria suppleat, vt videre est in exemplo supra posito, de materia prima, quæ sine vnione ad formam, & de quantitate Eucharistiæ, quæ sine vnione ad substantiam, licet sint modi maxime necessarij ad existendum, sine quibus non possunt conseruari naturaliter, conseruantur nihilominus & diuinitus supplet Deo per modum actionis posituum illam conseruationem, seu dependentiam ab vnione, & inherencia, & hoc non propter aliam rationem, nisi quia talis dependentia non est essentialis in materia prima respectu formæ, & in quantitate respectu substantiæ, sed dependentia quam habet natura à suppositualitate, non est essentialis respectu naturæ: ergo potest Deus supplere talem dependentiam per modum posituum actionis: in genere causæ efficientis conseruantis illam, antecedens euidens est, quia licet natura dependeat intrinsece à suppositualitate, nihilominus non dependet ab illa tanquam à prædicato essentialiter constitutiuo illius in esse naturæ; sed tanquam ab aliqua ratione extra essentiam talis naturæ supponente talem naturam completam in suo essentiali: ergo talis dependentia non est essentialis naturæ. Patet hæc consequentia, quia ideo materia prima in vestra sententia licet intrinsece dependeat à forma substantiali actualiter, tamen essentialiter non dependet ab illa, quia forma non est prædicatum essentialiale materiæ, aut pars essentialiter constitutiva illius, & in omnium sententia sine aliquo dubio aut tergiversatione, licet forma materialis substantialis dependeat intrinsece à materia, & accidentia omnia intrinsece dependant à substantia, nihilominus non dependent ab illis subiectis essentialiter, quia non sunt de essentia formæ, aut de essentia accidentium materia prima & substantia; sed de essentia naturæ non est suppositualitas: ergo dependentia à suppositualitate non est essentialis naturæ: ergo potest suppleri à Deo, vnde bene poterit esse, & conseruari natura sine omni suppositualitate.

Dices bene posse esse naturam sine hac, vel illa 9 suppositualitate, non tamen sine omni, sicut bene potest ipsa natura esse, & conseruari, sine hac vel illa dependentia à Deo, non tamen sine omni.

Contra, quia non depēdet actu ita ab illo modo 10 positiuo suppositualitatis natura, sicut dependentia dependet à Deo, nam à Deo in genere causæ efficientis vocatur essentialis, ita vt nec per potentiam Dei absolutā possit existere natura sine dependentia à Deo, & sic creatura cum in suo conceptu primario dicat esse ens secundum, & participatum, si actu est, debet necessario habere actualement participationem, quia actu non potest esse à se, sed ab alio; vnde actualiter dicit dependentiam à Deo, si actu ens simpliciter est, id est ens existens, sicut si possibile, & ens secundum quid.

N

quid dependentiam possibilem & secundum quid dicit, & ideo illa non potest suppleri, quia esset, & non esset actu creatura intrinsece, esset actu ens participatum actu, & non ens participatum actu, non esset actu participatum, quia non creatum actu, creatum enim actu, & participatum actu est effectus primarius creationis, & participationis, sed de essentia actualis primarij effectus formalis est actualis entitas, & essentia formæ, quia talis forma per suum ipsum esse constituit essentialiter effectum formalem primarium suum, verbi gratia, albedo constituit album, anima animatum sine essentia autem actuali actualiter non potest esse effectus: ergo sine sua forma actuali; sed forma actualis entis participati, & creati est participatio actualis creatio, seu dependentia à Deo: ergo ens actu participatum & creatum, seu actualis creatura non potest esse talis sine actuali participatione, creatione, & dependentia à Deo; unde si esset sine illa non esset ens participatum, nec creatum, nec creatura actualis, & ex alio capite esset creatura ut supponimus: ergo esset creatura, & non creatura actu.

11 A supposito autem minime actu essentialiter dependet natura quia natura non est effectus primarius formalis intrinsecus supposititalitatis, ac proinde talis supposititalitas non est forma intrinsece, & essentialiter constitutiva naturæ ut naturæ, nec causa prima, & increata efficiens talem naturam, neque etiam est causalitas causæ primæ.

12 Præterea non est subiectum naturæ actu componens essentialiter illam: ergo non dependet ab illa essentialiter, ac proinde sicut potest tolli hæc, & illa supposititalitas, potest tolli omnis à natura existente tota essentia, & substantia illius, quia natura completa actualis essentialiter est actu, & actu est perfecta essentialiter sine modo illo supposititalitatis, qui tantum ad integritatem naturæ, & complementum illius integrale datus est ipsi.

13 Confirmatur, quia quod est prius essentialiter non dependet à posteriori essentialiter; sed natura est prior essentialiter supposititalitate cum supposititalitas ex eo quod essentialiter sit modus naturæ præsupponat essentialiter naturam, tum tanquam causam effectivam essentialem, tum tanquam subiectum essentiali illius adhesionis, ita ut nec per potentiam Dei absolutam possit hoc alterari: ergo natura nullo modo potest dependere essentialiter à supposititalitate, quia dependentia est posterioritas naturæ respectu illius in ordine ad quod datur dependentia; sed si prius essentialiter dependeret, essentialiter esset posterius; unde non esset prius essentialiter, quia quod est prius respectu alicuius quæ tale est non est posterius, & contra: ergo prius ut prius essentialiter non potest essentialiter dependere à posteriori essentialiter, quia iam idem respectu eiusdem esset prius, & non prius essentialiter.

14 Vergetur exemplis hoc, quia compositum dependet essentialiter ab anima rationali, non potest iterum anima rationalis dependere essentialiter à composito ut actu sit, & conservetur ipsa anima rationalis, & quia materia prima est id à quo dependet essentialiter compositum in genere causæ intrinsece, non potest iterum materia prima dependere essentialiter in genere causæ intrinsece ab ipso composito, & quia omnis creatura dependet essentialiter in genere causæ efficientis à Deo, non potest iterum Deus dependere essentialiter à creatura in genere causæ efficientis; sed

supposititalitas dependet essentialiter à natura, quia omnis modus essentialiter dependet à re cuius est modus: ergo iterum natura non dependet à supposititalitate.

15 Dices in vno genere dependere supposititalitatem à natura, & in alio dependere naturam à supposititalitate, scilicet in genere causæ formalis.

16 Contra, quia natura non dependet essentialiter in genere causæ formalis, nisi ab illa forma à qua essentialiter habet esse, & sine qua non esset completa essentialiter, & non ab ea à qua in nullo genere causæ formalis essentialiter habet esse, hoc est à qua non accipit esse essentialiter, omnis enim dependentia causæ est ut effectus accipiat esse ab illa, & illa det & influat esse eo modo, quo est causa in effectum, & sine influxu non datur dependentia à causa, quia influxus causæ in effectum, & dependentia effectus à causâ; sed natura humana, verbi gratia, non accipit esse essentialiter à supposititalitate, nisi à forma rationali, quia forma non dat esse nisi dando suam entitatem, ita ut si forma non se dederit ut essentia effectus, & de essentia ipsius, nec poterit causare effectum ut forma essentialiter, nec effectus dependebit essentialiter à tali forma, ut videre est in anima rationali respectu hominis, in quantitate respectu ipsius, ab illa enim dependet essentialiter homo, ab hac non: ergo supposititalitas, quæ non est forma constitutiva essentialiter naturæ, dando se ut essentia ipsius, sicut forma rationalis est forma illius, sed potius est extra essentiam naturæ, & supponit illam completam essentialiter in suo esse constituto per materiam, formam rationalem & unionem, & dando se ipsa supposititalitas, non dat gradum, nec prædicatum essentiali naturæ, ipsa enim habet omne prædicatum essentiali prius naturæ quam supposititalitatem habeat, imo sine supposititalitate humana creata est completa essentialiter talis natura in specie naturæ humanæ, ut videre est in Christi humanitate, ideoque ab omnibus DD. supposititalitas iudicatur extra essentiam naturæ, ita ut non sit prædicatum essentiali illius, quod adeo verum est ut non solum dicendum sit hoc, atque ingenue fatendum in natura creata in qua distinguitur supposititalitas à natura à parte rei, sed etiam est firmiter asserendum in divina essentia ac natura, de cuius essentia non sunt tres supposititalitates, seu relationes, quæ identificatæ cum divina essentia constituunt tres personas realiter distinctas, alias illæ tres personæ essentialiter distinguenter ratione propriæ supposititalitatis, quam unaquæque haberet ad sui constitutionem distinctam ab aliis, si talis supposititalitas esset prædicatum essentiali naturæ divine.

17 Unde non potest influere essentialiter formaliter supposititalitas creata in naturam humanam, cum non ad constitutionem essentia naturæ, sed potius ad constitutionem suppositi ut tale, quod non est essentia naturæ, sed integritas illius ordinatur: ergo nullo modo potest natura essentialiter dependere à supposititalitate in aliquo genere causæ: ergo bene potest esse natura sine supposititalitate diuinitus, quia Deus solum non potest supplere causam, & causalitatem essentialem, & ideo non potest natura existere & esse adhuc diuinitus sine Deo influente ut causa, ut supra diuinitus sine Deo influente ut causa creata existimus, licet sine quacunque alia causa creata efficienti posset conservari, quia in illo genere solus Deus est causa essentialis, item rerum modi non possunt conservari vilo modo sine rebus, quibus

Quaest. VI. Vtrum substantia possit, &c. 99

res sunt causae effectuales illorum. Præterea natura humana potest esse sine quacunque causa formali præter animam rationalem, quia sola illa est causa essentialis formalis, cum influat in essentiam ex eo quod dando seipsam dat aliquid essentialie constitutum: sed suppositivitas non dat aliquod prædicatum essentialie per exhibitionem sui, dum terminat naturam, cum supponat iam essentiam ante talem exhibitionem completam essentialiter, & constitutam in suo esse essentiali naturæ: ergo suppositivitas non influit in essentiam, sed in aliquid extra essentiam naturæ, non enim dat aliquid essentialie ut dixi, ac proinde non influit essentialiter in ipsam naturam: ergo natura non dependet essentialiter actu, adhuc reduplicative ut actu est à suppositivitate. Patet hæc consequentia, quia influxus ex parte causæ, vel quasi causæ in effectum est dependentia effectus, vel quasi effectus à causa, vel quasi causa, quia ipsummet influere causæ est dependere effectus ab ipsa, quia effectus non dependet à causa nisi per influxum causæ, sed influxus ille suppositivitatis in naturam non est essentialis, nec suppositivitas influit essentialiter in naturam, sicut anima rationalis influit in ipsam, & sicut Deus in genere causæ efficientis influit in eandem cuius influxus vocatur essentialis. Tum quia Deus totum esse essentialie actu, & totam entitatem quam habet natura, tribuit illi medio suo influxu, nihil enim est in natura, quod non sit creatum, & participatum, ac proinde quod non sit à Deo datum, & concessum; Tum etiam, quia ita influit Deus in creaturam, & ita creatura dependet à Deo, ut non possit vlllo modo ab eo non dependere, cum vero suppositivitas nihil essentialie tribuat, & ex alio capite, hoc quod tribuit potest suppleri à Deo, ideo minime est influxus essentialis: ergo nec natura dependet essentialiter ab ipsa. Tandem, quidquid non implicat contradictionem ut tritum est axioma, & quicquid evidenter non probatur implicare illam, non est denegandum Deo omnipotenti, quia evidenter constat Deum esse omnipotentem, & evidenter constat Deum esse omnipotentem ex eo quod possit facere, & producere quicquid non implicat contradictionem: ergo si prudenter loquendum, & sentiendum sit, dum non constituitur evidenter, & clare de contradictione alicuius effectus, solum propter apparentes rationes, quæ non extrahuntur à ratione opinionis, non potest negari Deo affectio talis effectus: sed non potest evidenter probari implicare contradictionem, quod natura conservetur sine omni suppositivitate, ut ex rationibus supra positis liquet, & ex solutione argumentorum patebit: ergo minime est denegandum omnipotentia Dei quod possit conservare naturam sine omni substantia.

17 Secunda conclusio, causa effectiva substantia per emanationem est ipsa substantia cuius substantia est: hæc sententia est communis, illi maxime fauet D. Thom. 3. part. quæst. 16. art. 12. in corpore, & ad primum, ubi docet propriam, & creatam personalitatem naturæ Angelicæ causari ex principiis intrinsicis eiusdem naturæ, quod non videtur posse intelligi, nisi de causalitate per modum principij actiui, seu quasi actiui per naturalem quandam resultantiam, & emanationem, quod etiam asserit, q. 2. eiusdem 3. part. art. 2. ad primum.

Ratione autem primo sic probatur, quia substantia est proprietas substantia ut sic, ut probatum supra latissime manet, sed omnis proprietas

emanat, & fluit tanquam à principio actiivo à propria essentia: ergo substantia resultat per emanationem à substantia. Maior patet, quia omnis proprietas habet necessariam connectionem causæ, & effectus cum sua essentia: sed omne quod habet necessariam connectionem cum alio per modum effectus fluit ab eo cum quo habet talem connectionem: ergo omnis proprietas fluit ab essentia tanquam à principio actiivo, ideo enim risibilitas fluit ab essentia hominis & frigiditas, & humiditas ab aqua intellectus, & voluntas ab anima, quia sunt proprietates illarum essentiarum. Tum sic: ergo substantia, quæ est proprietas substantia, debet fluere necessario ab illa per emanationem, quia habet necessariam connectionem cum illa, nullo enim alio signo melius intelligimus hanc naturalem resultantiam, & emanationem vnius ex alio, quam ex naturali connectione, quæ est inter rem, & intrinsecum modum eius, seu inter essentiam, & proprietatem.

18 Dices eodem modo se habere inhærentiam respectu accidentis, sicut substantiam respectu substantia; sed actualis inhærentia accidentis non fluit ab accidenti: ergo similiter substantia non fluit à substantia.

19 Sed contra, quia non eodem modo se habet actualis inhærentia in accidenti, ac substantia respectu substantia, quia actualis inhærentia accidentis, ut bene advertit P. Suarez, pendet à subiecto, & ideo non potest dimanare ab ipso accidente, nisi subiectum concurrat, si tamen fingamus accidentis semel separatam, ita applicari subiecto, ut ablato impedimento extrinseco statim possit illud informare, tunc non videretur necessaria alia extrinseca efficientia, ut inhæreat, sicut in Eucharistia, quando ex hostia consecrata generatur vermis in instanti generationis, in quo materia supponitur accidentibus, ut intelligatur illa quantitas iterum uniri materiæ, solum oportet intelligere, ut Deus suspendat illum peculiarem concursum, quod quantitatem separatam conservabat, statim enim illa quantitas ex naturali aptitudine, & impetu suæ naturæ unitur materiæ sibi sufficienter applicatæ, & ita potest retorqueri argumentum, quod cum substantia naturæ substantialis sit modus omnino absolutus & independens à subiecto, & alias sit intrinsecus, & naturalis, & ad eum natura intrinsecam habeat aptitudinem, & propensionem ablato impedimento ab illa naturaliter resultat: unde falsum etiam est quod alij asserunt, dicentes non posse Deum tollere, & suspendere quodcumque obstaculum impediens naturalem resultantiam substantia propria à substantia quodcumque illud sit, v.g. ut erat unio humanitatis ad Verbum.

20 Secundo sic probatur, quia ex parte naturæ sunt omnia principia sufficientia, ut ab ea actiue resultet sufficientia eius: ergo non est negandum quin inter illas talis actiiva connectio intercedat; antecedens declaratur, quia ut supra diximus, essentia substantialis cum sua existentia ordine naturæ antecedit substantiam: ergo habet omnia necessaria ut ab illa possit resultare modus substantia. Patet consequentia, quia ipsa essentia est nobilior quam substantia, & per existentiam constituitur in statu in quo possit esse principium intrinsecum substantia: per resultantiam saltem, & emanationem naturalem. Rursus videtur esse maxime proportionata, ut possit esse huiusmodi principium: Tum quia ex nobilitate,

nobilitate. & perfectione eius provenit talis existendi modus; unde in virtute potest illum continere, tum etiam quia ad perfectionem rei spectat ut possit esse intrinsicum principium sui modi essendi, præsertim quando ille modus est omnino intrinsecus & connaturalis, & naturaliter inseparabilis ab ipsa re, atque hinc probata manet prima consequentia totius rationis: nam quando effectus, vel aliquis modus rei potest convenienter reduci in causam secundam, non est soli primæ attribuendus, & similiter quando reuocari potest in internum principium, non est ad solam extrinsecam causam referendus, præcipue quando talis modus habet intrinsecam, & inseparabilem connectionem naturalem cum re cuius est modus, etque omnino absolutus independensque ab illa re cuius modus est; & ideo ut iam supra dixi non potest unio accidentalis seu inhaerentia fluere solum ab accidenti, quia cum forma accidentalis sit in subiecto, & ex subiecto propter imperfectiorem ipsius accidentis, ratione cuius non potest prius natura creari, quæ uniri, ac proinde exercitium illius, seu inhaerentia ipsius eodem modo debet dependere & habere necessariam connectionem, non solum cum accidenti, sed etiam cum subiecto propter quam rationem, non potest forma accidentalis, seipsam actuine unire subiecto, quia nec potest seipsam de potentia subiecti educere, nec ante unionem etiam secundum naturæ ordinem habet esse existentia, ut possit esse principium efficiens suæ inhaerentis, & ex eadem radice est quod talis forma eadem actione, & ab eodem agente recipit inhaerentiam, à quo recipit esse, sicut etiam qui existunt substantiam naturæ substantialis nihil aliud esse quam ipsam existentiam substantia recte, & consequenter dicunt substantiam non resultare à propria essentia, sed conferri tantum ab extrinseco agente, quia existentia non potest provenire ab intrinseco, nec ante existentiam habet res unde possit esse principium efficiens.

Ultima conclusio: substantia est requisita ex parte principij operandi, non ita ut sit principium efficiens partiale, cum natura ad talem operationem eliciendam, sed solum ut sit conditio necessaria tenens se ex parte naturæ; ita ut natura substantialis prius intelligatur affecta modo substantia, quam possit operari. Hæc sententia est communis inter peritiores Theologos & Philosophos.

Probat huc primo ex Aristotele, dicente actiones sunt circa singularem, id est nec actio terminatur nisi ad singularem, nec oritur nisi à singulari: atqui singulare in sententia Aristotelis non distinguitur à substantia, distinctio enim substantia à substantia media revelatione divina facta de mysterio Incarnationis, ubi separata fuit natura à supposititate, innotuit Ecclesiæ: ergo in sententia Aristotelis actio necessario debet oriri à substantia, etsi completa fuerit substantia, quæ operatur à supposito, quod aperte patet ex verbo græco, quo videtur Aristoteles; nam loco singularis usus est Verbo significante primam substantiam, atque prima substantia in sententia Aristotelis significat substantiam, seu suppositum, ut patet ex ante prædicamentis, & ex prædicamento substantia, ubi aperte asserit primam substantiam esse idem quod suppositum, ut patet ex ratione quam subiungit postquam dixit, actiones & generationes omnes, &c. non enim inquit, hominem, nisi per accedens

sanat, qui ne detur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, ubi aperte suppositum intellexit nomine rei singularis, seu primæ substantia, vel quia singulare absolute dictum significat ens completum, & singulare, prout in rerum natura existit, vel certe quia ut verisimile est, Aristoteles non cognovit distinctionem inter rem singularem, & suppositum.

Vergetur hæc autoritas Aristotelis ex Damasceno lib. 3. de fide, cap. 1. in principio, ubi quatuor distinguit iuxta translationem Fabri, his verbis. [Aliud est actio, aliud actuum, & aliud agens.] Postea subiungit agens esse personam, ex quibus verbis ortum habuit commune illud axioma, actiones sunt suppositorum, quod verissimum est licet ab Aristotele non asseratur sub his formalissimis verbis, licet sub aliis aequalentibus, ut iam diximus, id asseruerit; unde in re, & secundum sensum æquivaleret hoc dictum dicto Aristotelis, sed demus quod illud nullo modo protulerit Philosophus, an nihil affirmamus, nisi ab Aristotele affirmatum, ut recte notavit Hurtado, præsertim cum tota schola præter Scoticam id libentissime admittat, ut principium, & accedens ad hoc quod Ioannes ille nobilis, & celeberrimus Theologus Pontificius Concilio Florentino, sess. 28. ex eo principio confirmat essentiam divinam non generare, sed Patrem generare, cuius verba, ut viri à Deo afflati Concilium suscepit, ac veneratum est, quæ hic authoritatis: ergo propono; porro, inquit, autem actiones iuxta omnem Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, ut in hominum genere fieri videmus, quamvis enim hic homo, hoc est persona, vel suppositum generet, eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est, quandoquidem actiones suppositorum, ut diximus sunt, quæ quidem substantia, vel essentia in homine cum sit humanitas humanæ generationis principium existit, quo homo generat hominem, ex quo colligit idem esse in diuino, & oppositum sine ratione adstruitur, tum propter authoritatem Ioannis adducti, tum propter communem loquendi usum Scholasticorum, Conciliorum, paginæ sacræ, affirmantium Deum mortuum, Deum surrexisse, Deum soluisse, Deum passum: ergo dicendum est actiones esse suppositorum, ita ut substantia, seu supposititas sit solum conditio necessaria ad operandum & non virtus immediate influens in operationes. Tum quia humanitas Christi operatur ut principium adæquatum humanarum actionum sine actu Verbi concursu: ergo & cæteræ humanitates sine concursu suppositi. Consequentia patet, quia sicut supposito diuino tribuuntur actiones humane sine concursu actu immediato, sicut passio in illas, ex eo solum quod talis substantia diuina sit conditio ad operandum, sic humiliter cæteris suppositis possunt attribui. Antecedens patet, quia si cut Verbum dicitur operari ita & pati, quia hæc propositio est de fide, Deus fuit mortuus, sed verè dicitur pati quin recipiat dolorem, Verbum enim est incapax receptionis materialis, aut substantia, ergo idem erit de actione, præcipue quia Verbum in genere causæ efficientis nullam habet actionem propriam, non communem toti Trinitati, iuxta Theologorum principium, omnes actiones Dei ad extra sunt communes toti Trinitati, quod evidens argumentum demonstrat, quia quicquid Deus efficit, est ad extra per omnes personam, quæ facultas est communis tribus personis,

Quæst. VI. Vtrum substantia possit, &c. 101

personis, itidem & eius actiones: ergo suppositum in ratione suppositi nullum habet influxum actuum in operationes sue naturæ; tum denique, quia natura humana, v.g. per se, vel suas potentias habet sufficientem virtutem ad amandum, & cognoscendum: ergo non eget suppositi concursu: consequentia satis est clara, antecedens patet, quia omnes formalitates intellectus, & amoris continentur sufficienter in potentiis, sine suppositualitate, quibus verbis P. Hurt. aperte declarata, ac confirmata manet autoritas illius communis axiomatis, desumpti ex Damasceni verbis, quibus S. Doctor Damascenus aperte asseruit nostram sententiam.

23 Ratione sic probatur nostra conclusio; quia natura creata siue sit humana, siue sit Angelica, est diuinæ naturæ participatio, ex eo quod sit natura creata, ac per consequens natura dependens à Deo; sed natura diuina, ita petit ad operandum subsistentias diuinas, vt non possit sine illis operari siue ad intra, siue ad extra: vnde absurdissimum in fide est prædicari aliquam operationem de natura diuina in abstracto considerata, ac proinde damnantur in fide hæc propositiones diuinitas generat, diuinitas spirat, diuinitas sine vlla subsistentia creat, & producit mandum, & ideo solent theologi Trinitatem personarum in Deo dicere esse necessariam ad productionem; ita vt non possit vlllo modo sine illa Trinitate operari diuina natura: ergo similiter natura creata, quæ est participatio, vt dixi naturæ increatæ, nullo modo poterit operari sine subsistentiâ.

24 Vrgetur hoc, & declaratur amplius; quia licet illa diuina natura sit infinita in esse principij operatiui ex se, & ex sua intrinseca perfectione, nihilominus non potest operari, sine subsistentia, tanquam conditione necessaria ad operandum: ergo à fortiori natura creata, quæ de se finita, limitata, ac imperfecta est, & quæ petit ad quamcunque rationem plures condiciones, nullo modo poterit operari tanquam sine subsistentia, tanquam conditione.

25 Dices cum Patre Vasquez eiusdem esse operari cuius est produci & esse, quare si aliquid est quod producit & quod est, erit etiam quod operatur: atqui natura substantialis est id quod producit; & quod est, prius enim prioritate naturæ producit naturæ generatione quam terminetur, & anima rationalis creatione quam vniatur; id namque quod terminatur, & vniatur prius est productum, quam terminetur, & vniatur: ergo natura est id quod producit, ac proinde etiam id quod est; erit igitur id quod operatur.

26 Sed contra primo, quia nō bene sequitur, nec est regula vtilis eiusdē esse operari cuius est produci; nam materia primā vere, & realiter producit, & nihilominus nihil operatur, quia cum sit pura potentia, & nihil habeat actiuitatis propter suam imperfectionem, nihil poterit operari, licet absolute possit produci; imò & producat perfectissimā operatione, quæ est creatio. Deinde quantitas, albedo, migredo, varietas, & densitas, figura, & alia id genus infinita vere realiter, ac proprie producuntur, & nihilominus nihil possunt producere: ergo non valet bene eiusdem esse operari cuius est produci, & ratio euidentis à priori est, quia omnis creatura ex eo quod creatura sit, necessario debet esse ens participatum à Deo; ac proinde necessario debet produci proprie à Deo; itaque produci commune est omnibus creaturis, siue sint res, siue modi; atqui non omnis creatura est actiua, & ope-

ratia, quia esse actiuum, & operatiuum est perfectio, quam non omnis creatura attingit, vt patet ex exemplis supra positis: ergo vniuersalior ratio est produci, quam producere; sed ex vniuersaliori ratione non potest affirmatiue argui ad inferiorem, & strictiorem rationem; & sic non valet bene, est ens: ergo animal; est animal: ergo homo; est animal: ergo currit; est animal: ergo respirat; nam multa animalia sunt, quæ non sunt homines, nec respirant, vt pisces, nec currunt, vt ostræ: ergo si producere, & produci, se habent vt vniuersalior, & particularior ratio, ita vt ex parte produci se habeat vniuersalitas, & ex parte producere se habeat particularitas, non valebit argumentum affirmatiuum à produci ad producere, sicut non valet à substantia ad corpus: & à corpore ad hominem, propter maiorem vniuersalitatem illorum respectu horum.

Secundo contra, & concedo veram illam esse regulam illius, nempe esse operari, cuius est esse; atqui esse per se primo conuenit rei singulari vltimo completæ; nam vniuersalia non sunt nisi in singularibus, ac proinde esse proprie est singularis completi, seu suppositi, aut subsistentis, nam esse proprie conuenit ei quod est, solum autem suppositum est id quod est, & ideo illud proprie dicitur fieri, seu circa illud versari actio; sed eius etiam est operari cuius est esse, quia sicut actio est ad esse, ita est ab esse: sed suppositum est id quod proprie est, seu quod habet esse: ergo etiam actio per se primo tribuitur rei singulari, id est supposito.

Contra tertio sic argumentor; & vt magis elucescat mea solutio concedo falsitatem illius eiusdem, nimirum esse operari cuius est produci; item concedo naturam substantialem esse id quod producit, & quod est, ac proinde concedo esse id, quod formaliter, & immediate operatur: ex quo nihil contra nos, nos enim non asserimus suppositualitatem seu subsistentiam esse immediatum principium influxuum, sed solum conditionem sine qua non, quod non contradicit argumentum, quare vtrumque verificatur in nostra sententia; scilicet quod sola natura sit immediatum principium per se influens in actionem, quod etiam intendit aduersariorum discussus, ex quo non sequitur quod suppositualitas non sit conditio sine qua non operatur natura.

Secundo principaliter sic argumentor ratione, quia prius est quod res sit in suo esse completo, ac plane constituta, quam quod operetur: sed subsistentia pertinet ad complementum naturæ in suo esse substantiali; ergo prius esse debet natura terminata subsistentia, quam possit operari: ergo subsistentia non tantum concomitanter, & per accidens: sed potius antecederet se habet ad operationem naturæ.

Declaratur, & vrgetur amplius, quia sicut esse substantiale agentis non comparatur per accidens ad actionem eius, ita complementum essendi substantiale omnino intrinsecum, ac connaturale non comparatur omnino per accidens ad actionem, sed est ordo per se requisitus, vt res prius in se sit subsistens, quam quod operetur, & hæc ratio vt optime ait P. Suárez, asserimus subsistentiam requiri per se ex parte agentis, nam præcise ex parte actionis, vel termini proximi, seu formalis eius non erat adeo necessaria substantia formæ, seu naturæ, quæ est principium actionis, quia in ipsa natura est tota perfectio per se necessaria ad immediate eliciendā talem actionem, tamen ex parte agentis requirit talis natura proprium, & complementum

pletum essendi modum ut sit constituta in statu accommodato ad operandum, & hoc modo dicimus subsistentiam per se requiri ex parte agentis, ut necessariam conditionem ad operandum, sicque dicere solent Theologi ut supra asserui, Trinitatem personarum in Deo per se non requiri ad creationem ex parte ipsius actionis, ramen ex parte Dei per se, & necessario supponi, quia pertinet ad personalem Dei constitutionem, & prius est, ac per se prerequisite ut Deus sit in se plene, ac perfecte substantialiter constitutus, quam ut ad extra operetur: unde etiam si fingeremus Deum ab aeterno aliquod creare, nihilominus intelligeremus internas origines, & constitutiones diuinarum personarum ordine naturae antecedere creationem, quod si hoc verum est in Deo, in quo natura diuina est essentialiter subsistens, multo magis in creatura in qua subsistentia omnino est extra essentiam rei; atque hinc tandem constat, quo sensu operatio per se primo tribuatur supposito, quia natura ut natura ante subsistentiam non est constituta in statu completo, & proxime accommodato ad operandum, & ideo merito tribuitur actio supposito.

31 Confirmatur à simili de accidenti; nam forma accidentalis, ex natura rei loquimur, prius habet quod insit, quam quod ab illa manet aliqua actio, quia ille modus essendi est quasi intrinsecus terminus, & complementum talis formae; item est optima, & sufficiens ratio, quia talis modus habet magis intimam connectionem naturalem cum tali forma, quam omnis actio, quae ab illa potest dimanare: sed eodem modo comparatur subsistentia ad substantialem naturam; ergo.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

32 AD primum argumentum respondeo negando antecedens, quia si quantitas reducatur ad punctum, ut potest diuinitus, conseruabitur tunc sine omni figura, quod etiam concedunt aliqui probabiliter adhuc si non reducatur; tunc autem fundamentaliter tantum erit figurata quantitas, & non formaliter, linea autem sine aliquo serupulo dicitur posse conseruari sine omni puncto terminatio.

33 Ad secundum respondeo eodem modo posse esse & conseruari accedens sine omni inherencia, sicut naturam sine omni suppositualitate.

34 Ad ultimum respondeo in eo solum requiri proportionem inter terminum & actionem, in quo specificatur actio à termino; cum autem in esse entis, & positiui, non specificetur actio à termino, vel ab obiecto formali, quia ratio entis, & positiui non est species actionis, sed prima, & vniuersalissima ratio, quae in sententia D. Thom. non sumitur ab obiecto formali, vel à termino, sic licet ratio formalis obiectiua sit negatiua, dum tamen sit ratio positiua, cui coniungitur illa negatio in communi sententia potest specificare actionem positiuam praecipue in sententia Aduersariorum.

35 Secundo in mea sententia probabiliter respondeo, dari specificatum positiuum proprium illius actionis, nempe naturam conseruatam ex vi potentiae obediensialis independentem ab omni modo, & termino, vel si melius velis, ipsam

potentiam obediensialem, ut connotat independentiam illam, quatenus potest subdi Deo auctori supernaturali in ordine ad effectum superantem omnia principia intrinseca naturae, quae potentia obediensialis positiua est, & distincta virtualiter à potentia naturali, per quam conseruatur mediante prima actione.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quis sit effectus formalis suppositualitatis.

SECTIO I.

Prima sententia Aduersariorum proponitur.

P R I M A sententia asserit suppositualitatem ut sic habere pro effectu formali primario independentiam à priori à subiecto materiali: hæc sententia attribuitur à P. Hurtado Patri Suarez, sed immerito quidem, ut ex dicendis infra patebit: sed cuiuscumque illa sit, sic probatur.

Quia si natura non haberet suppositualitatem, dependeret à subiecto materiali; atque ex vi suppositualitatis non dependeret ab illo: ergo ex vi suppositualitatis formaliter datur independentia in natura: ergo effectus formalis suppositualitatis, est independentia à subiecto.

Confirmatur ac declaratur, quia si substantia non haberet subsistentiam, haberet sine dubio inherenciam in subiecto: sed inherencia est dependentia à subiecto: ergo si non daretur subsistentia, daretur dependentia à subiecto: ergo ex vi subsistentiae non est inherencia in substantia, nec dependentia à subiecto: ergo est independentia ab illo ex vi subsistentiae: ergo talis independentia est effectus formalis illius.

Secundo sic probatur, quia entitas aliqua, aut debet esse in se aut in alio; si in se, habet subsistentiam, si in alio dependentiam ab illo, & ita est in se, & per se ex vi suae subsistentiae, ut nullo modo possit esse simul in alio propter oppositionem quae reperitur inter modos essendi in se, & in alio: ergo ex vi subsistentiae dicit independentiam naturae ab alio, si quidem dicit negationem ex vi illius essendi in alio.

Secunda sententia est aliorum asserentium formalem effectum suppositualitatis esse reddere naturam independentem à subiecto, non quidem à priori ut praecedens opinio asseruerat, sed à posteriori, id est fundare negationem vniionis accidentariae ad subiectum, non tamen recipiendo esse ab illo, sed dependendo solum tanquam ab eo sine quo non potest conseruari, non enim dicunt pugnare cum subsistentia terminatiua vniionem substantialem, admittunt enim in materia, & animo rationabili etiam dum vniuntur proprias subsistentias. Hæc sententia probatur.

Primo, quia subsistentia est complementum substantiae in ratione formali substantiae, sed propria hæc ratio est independentia à subiecto inherens: ergo est complementum substantiae in ratione entis per se & independentis.

Tertia sententia est eorum, qui asserunt effectum primarium suppositualitatis esse tollere independentiam naturae ad alia supposita. Probatur,